

quam agnosceres. Occursabant scilicet ejus animo pristina oblectamenta, ludi, comotationes, quæque ebrietatem sequuntur: offerebant sese identidem auspicia & sortes, quibus ad amentiam omnis ferme barbaria dedita est: titillabat sensum, effundendæ iracundiæ, & doloris puniendi suavitas; quibus quasi machinis, urgente præsertim dæmone, sensim de statu suo dejecta mens ita obduruit, ut cum internas religionis & officii recordationes obstinate repudiaret; tum salutaria sacerdotum hortamenta ac monita, non modo ad animum, sed jam ne ad aures quidem admitteret. Accedebat, ad res profligandas, acerrimum dæmonis telum, muliebris conjuratio. Quippe, ut cæteræ ferme gentes, ita etiam Æthiopes, præter eam, quam justæ uxoris habent loco, singuli pellices alere consueverant plures paucioresque pro opibus. Eæ cum ex invecis nuper sanctionibus pelli aut ablegari se a viris quotidie cernerent, ut est impotens iracundiæ sexus, damnum & ignominiam non tulere: cœtibus habitis consensu per se perque communes amicos cum rege vehementer agere insistant; adventitias religiones, durumque & horridum vitæ genus abjiciat; præsentibus bonis & copia rerum quoad licet fruatur: neu incertam spem futuræ felicitatis, tanto pretio tantaque commodorum & voluptatum jactura sibi emendam existimet. Hæc & alia ejusmodi blandimenta cum neque Rex invitus acciperet, & eadem tabe infecti permulti ac præsertim Regis filius Pansus Aquitimus adjuvaret; brevi maximum in discrimen adducta Christiana tota res est. Obstabant sceleratis conatibus fideles ac boni, ut numero inferiores, ita divino præsidio & causa longe superiores. Egregium vero se pietatis vindicem & assertorem præbebat Alphonsus: patrique miseratus insaniam; dictis factisque neophytos in fide atque in officio continebat. Ad eum tollendum obicem, proceres aliquot Pansum incensum jam regnandi cupiditate omni ratione fovere; Alphonsum absentem variis criminationibus patri suspectiorem indies reddere instituunt. degenerasse illum plane in externos mores, nihil jam patriæ vel avitæ consuetudinis pati: Regem vero ipsum ita vel contemnere, vel odisse; ut in ejus contumeliam artibus magicis, quas a Christianis nuper acceperit, amnes exsiccet, vitiet fruges, atque adeo regias pellices ultro ad se ipse pelliciat. Ejusmodi calumniis atque portentis cum juvenis innoxii famam ex composito quotidie lacerarent; zelotypum senem, & in affecto jam corpore animi quoque viribus defectum, facile perpulere, ut Alphonsum omni dignitate, honoribus, vectigalibus per summam injuriam exueret. jacuissetque porro in solitudine & squalore circumventus & proditus DEI servus; ni divino instinctu coorti quidam ex optimatibus, regem aperte increpuissent, quod hæredem regni destinatum, stirpis maximum, eximia virtute ac pietate filium indicta causa damnasset. Reputaret secum illius in arcendis hostibus præclara facinora; in tuenda popularium concordia studium; in ipso Rege colendo pietatem & fidem: dein videret, num tantæ indoli tantisque laudibus consentanea essent, quæ ab inimicis ad invidiam conficta, nimium patulis auribus in animum demississet. Quin per idoneos viros in filii vitam & actiones inquireret? ac perspecta demum & cognita veritate, quod æquum videretur, & in reum & in accusatores, pro merito cujusque statueret? Hisce monitis quasi e veterno excitatus Rex, ac se ipsum levitatis incusans, per summam dissimulationem quæstis iis, quæ Alphonso objecta erant, cum prorsus vana & commentitia comperisset; maxima bonorum gratulatione infontem filium in pristinum digni-

digni-